natuum commemoratio tuum assensum, lector, quasi marinis fluctibus, anxiè hinc inde iactare potest, quibus fatigatus, denique tantò libentiùs ad causas hoc libello expositas, tanquam ad tutum portum te recipias. Consolabantur me tamen subinde, & in spem meliorem erigebant, cùm aliæ rationes, quæ infrà sequentur, tum quòd semper motus distantiam ponè sequi videbatur, atque vbi magnus hiatus erat inter orbes, erat & inter motus. Quòd si (cogitabam) Deus motus ad distantiarum præscriptum aptauit orbibus: vtique & ipsas distantias ad alicuius rei præscriptum accommodauit.

Cum igitur hâc non succederet, aliâ viâ, mirum quàm audaci, tentaui aditum. Inter Iouem & Martem interposui nouum Planetam, itemque alium inter Venerem & Mercurium, quos duos fortè ob exilitatem non videamus, ijsque sua tempora περιοδικὰ ascripsi. Sic enim existimabam me aliquam æqualitatem proportionum effecturum, quæ proportiones inter binos versus Solem ordine minuerentur, versus fixas augescerent: vt propior est Terra Veneri in quantitate orbis terrestris, quàm Mars Terræ, in quantitate orbis Martij. Verùm hoc pacto neque vnius planetæ interpositio sufficiebat ingenti hiatui ♃ & ♂. Manebat enim maior Iouis ad illũ nouum proportio, quàm est Saturni ad Iouem: Et hoc pacto quamuis obtinerem qualemcunque proportionem, nullus tamen cum ratione finis, nullus certus numerus mobilium futurus erat, neque versus fixas, vsque dum illæ ipsæ occurrerent: neque versus Solem vnquam, quia diuisio spatij post Mercurium residui per hanc proportionem in infinitum procederet. Neque enim ab vllius numeri nobilitate coniectari poteram, cur pro infinitis tam pauca mobilia extitissent: Neque verisimilia dicit Rheticus in sua Narratione, cum à sanctitate Senarij argumentatur ad numerum Sex Cœlorum mobilium. Nam qui de ipsius mundi conditu disputat, non debet rationes ab ijs numeris ducere, qui ex rebus mundo posterioribus dignitatem aliquam adepti sunt.




Rursum alio modo exploraui, vtrum non in eodem quadrante distantia cuiuslibet Planetæ sit residuum ex sinu, & motus eius sit residuum ex eius complementi sinu. Fingatur Quadratum A B, à Semidiametro totius Vniuersi A C descriptum. Ex angulo igitur B Soli siue Centro Mundi A opposito, scribatur cum radio B C Quadran-